



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Iesu Christi Annus. M.D.XXXII. Sancti Patris Benedicti. M.LII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

58
de Manderscheid Vir Religiosissimus & Zelosissimus, ob insignia vita merita, & miram tam in Divinis quam humanis litteris eruditionem, & Juris utriusque profundissimam cognitionem, nec non admiranda cum corporis tum animi talenta & dotes, jam longè ante à Maximiliano I. Imperatore Consiliarius adoptatus, omnibus Imperij Principibus, præter a vita & sanctæ Fidei desertores, gratissimus summoque in respectu habitus. Fuit sacræ Reformationis promotor strenuus, & suum imprimis Monasterium ad amulsum statutorum Bursfeldensis Congregationis composuit, & magna industria, in Catholicis quaqua versum in officio & erga sedem Apostolicam reverentiâ continendis, diligentissimam operam intendit. *Ex monim. Prumiens. & Germania nostra.*

Nec minus solliciti & de suorum solida reformatione & de subditorum salute, sed & veneni Hæreseos passim sparsi extinctione, alij tam superâ quam inferâ Germaniæ Abbates, nulum non lapidem moverunt, quos inter Venerandæ memoriæ Abbas sancti Cornelij ad Jndam Henricus de Binsfeldt, nomen suum magnis meritis commendavit, inter illustriores saculi hujus & Ordinis nostri viros merito celebrandus.

Henricus de Binsfeldt.

Merentur plurimi Ordinis nostri Abbates de sanctissimo novellæ cultura Patrum Capucinatorum Instituto, & in condendis varijs Cænobijs sumptus & alia necessaria suppeditant, maximo ad utilitatem publicam bono, fructu inde maximo, ab optimo eorumdem vitæ exemplo inter fideles consequente.

Nostrorum de PP. Capucinis merita.

IESU CHRISTI ANNU S. M. D. XXXII.
Sancti Patris Benedicti. M. LII.

Vivere inter mortales definit, ut immortalibus jungeretur. hoc anno, Venerabilis Jacqueline de Grandi Prato, Abbatisa S. Petri Remensis, Antiquita verè incomparabilis, quæ vix inaudiens aliquid de Reformatione ferri Ordinis instituta, toto animo efferverescens, cum esset loci princeps & prima omnium, omnes quoque alias antevertere exemplo suo statuit, & quo securius constantiisque rem arduam aggredereur, prius, quam sibi

Obijt Ven. Jacqueline Abbatisa S. Petri Remensis.

creditas Virgines, ad inueta cogeret, in seipsa experiri voluit; & ut non absque arbitro rem susceperet, licentiam ab Eminentissimo S. R. E. Cardinale & Archiepiscopo Remensi Roberto de Lenoncour rogavit & impetravit, cujus consensu Monmortanum initio Cænobium adijt, in quo Reformationem pluribus jam annis viguisse intellexit, ubi decem & octo menses commorata, prima quasi de novo Monachicæ disciplinæ fundamenta posuit. Inde etiam ad S. Mauri Virdunensē, ac deinde ad Calensē sive Chelensē se contulit, ut inde quoque sibi eligeret exemplaria imitanda summæ perfectionis, ubi vis non tanquam Dominam se gerens, sed tanquam vilem Tyrunculam ipsa speculum Zeli ferventissimi, & demississima humilitatis, Rege interim ipso pro Remensibus Ejudem monialibus sollicito, & ut alluescerent ad reditura Jacquelinæ fervorem, præmittente Annam de Broyat Abbatisam Vallis Gratiæ, quæ interim per annos quatuor Monasterium Jacquelinæ curavit, & Guillelmetam de Bonvalet, cum sex alijs Monialibus Monmartensibus Cænobio introduxit, quarum exemplis, Virgines aliæ salubriter instituta, deinceps promptius & feliciter ad justâ Jacquelinæ se converterent. Redijt hæc denique egregiè instituta, cumque in omni sanctitate exercitata facem omnibus anteferret, omnesque filias suas magnis demerita esset meritis, ad braviū felicitis vocata æternitatis, læta, & hilaris decessit sexta Febr. ætatis 53. *Ex communicatis à P. Don Amando Tibout Priore Deruensi.*

Reformationis strenua.

Ven. S. Anna de Broyat.

Guillelmetta de Bonvalet.

Diethelmus, ex eadem, de qua supra, Blaarerorum Equestri familia quæ vix ulla alia ex equestribus felicior, in tot dandis Imperio Principibus electione creatis Gerwici Abbatis Weingartensis consanguineus, ante biennium Princeps & Abbas S. Galli in Helvetia, electus, in ligni hoc ipso anno generositatis exemplo, nomen suum posteritati commendavit, quando Novatores Hæreticos, Heroico ausu felicissimè terruit, armis etiam quamprimum attrivit, eorumque insolentiam compescuit, & recepto à perduellibus Cænobio, inter circumundique ambientes efferatissimos hostes Zwinglianos

Diethelmus Abb. S. Galli.

anos imperterritus, invictusque, fidei Catholicae pro virili consuluit, & verbo exemploque nutantes in fide revocavit, atque longè etiam positus, ipsa Virtutum fama animum addidit, & confirmavit. *Ex Monim. Sangall. Mezlevo, Mariano Bucelino &c.*

Benedictus Abbas Faucensis.

Sed & Benedicti Abbatis S. Magni in Faucibus Julijs, vulgo Fueslen, inter tantas Germaniae tenebras, tanto magis virtus enituit; ut proinde ob virtutem Imperatori Carolo charissimus, suisque imprimis utilissimus, florentissimum ipse Canobium, inter asperissimam hanc calamitatum hyemem & pruina, generosissimè administraret, atque inter commune & universale quasi Europae incendium, rubi, Divino nimirum ardentis igne, sed incombusti, renovatum quasi exemplum & miraculum orbi repraesentaret, tanto quidem convenientius, quanto amantior illius Matris Virginis comprobatus est, quam rubo illo incombusto signari vetustissimi Ecclesiae Doctores contendebant. *Ex Monumentis Faucensibus, Stenpelio, aliisque.*

Faucenses in Fide reventi.

Hujus viri industria & vigilantia retenti in fide & obsequio Romanae Ecclesiae sunt Faucenses, & circumjacentes populi, adjuvante illa praecipue, quam tantopere colebat, quae sola cunctas calcabat Haereses, sedulo invocata, cujus ipse cultum inter suos & per suos late promoverat. Quod & diversissimis passim locis per Germaniam Abbates nostri aeterno cum merito strenue praestitere.

JESU CHRISTI ANNUS. M.D.XXXIII. Sancti Patris Benedicti. M. LIII.

M Oritur hoc anno, acerrimus *Lutherane factionis domitor & debellator scientia clarus & virute.* Guiljelmus Briconnet, Meldensis Episcopus, verè pastor bonus, praesul sui temporis incomparabilis, qui ex Monacho & Abbate S. Germani Parisiensis pro egregijs vitae meritis Lovedenis primum creatus Episcopus, ad Meldensem deinceps Cathedram evectus, dignissimum per omnia se comprobavit & praestitit Antistitem assiduè per seipsum totius Dioeceseos visitatione, ferventissimam praedicatione, diligentissimam pauperum cura & susceptione &c. Idem intelligens quantum

cleri & totius Ecclesiae interesset sapius Synodos celebrari, quibus, nunquam non necessaria rebus caducis reformatio institueretur, duas ipse incomparabili cum utilitate, alteram anno Christi millesimo quingentesimo decimo nono, alteram vigesimo tertio convocavit, & multa praclarissime sanxit & instituit, maximè autem contra impia Haereticorum Dogmata omnis generis remedia excogitavit, sibi que credens ovis oculis mira & pia sollicitudine cavet, multaque laudabiliter, *de invocatione sanctorum de precibus pro mortuis, de cultu Venerabilis Eucharistiae,* aliaque statuit, ac libros Lutheri sub poena excommunicationis solemniter prohibuit. Interfuit etiam Concilio Senonensi, in quo multa Regno utilia dictavit, & sanctae Romanae Ecclesiae ac fidei Catholicae pro virili consuluit. Idem altera Vice ad Romanum Pontificem Legatum egit, resque maximi momenti religiosissime & dexterrime confecit. Idem Deiparae cultor singularis, Festum Visitationis ejusdem solemnè voluit, & feriari praecipit. Idem multa praclare scripsit, aliaque inter, multo simplicium bono *Contemplationes Jesu* in sermonem Gallicum transtulit, & insignem illam S. Germani Parisiensis Bibliothecam thesauro librorum auxit. Idem Ecclesiam suam variè ornavit; Palatium Episcopale struxit, Parochorum Residentias curavit, verus omnium suorum & maximè pauperum Pater extitit, Vita excessit 25. Januarij hoc anno circa mediam noctem, aetatis suae sexagesimo quinto, Aymandi [vulgo Aymans] prope Monasterium ad Jcaunam, ibique sepeliri elegit. Scripsit Testamentum sancto Episcopo dignissimum, quo pauperes [nulla prorsus Cognatorum habità ratione] pauperes, inquam, solos, & Ecclesias haeredes jussit. Inde animam Deo, Deiparae & Curiae caelesti ferventissime commendatam, & Anniversario fundato, nec non sacrosanctis Ecclesiae Sacramentis reverenter susceptis, sanctè in Domino requievit, sepultus ut voluit sub modico tantus Episcopus lapide, sub hac à se dictata humili inscriptione.

Sapius Synodos celebrat.

Haereticis pro virili obviatur.

Verus pauperum Pater.

Testamentum dignum Episcopo.